

1885

P O L E M I C I.

1886

fert, et inter Errorum Magistros etiam *Servetum*, *Blandratam*, *Ochinum* et *Franc. Davidis* commemorat. Nervosa est ad *Rudolphum* Imp. Peroratio.

II. fol. 53. Versio germanica hoc Titulo: *Libellus von den ketzerischen büchern vnnnd Schrifften, dieselben zu vermeiden vnnnd zu verwerffen aus lateynischer sprache verdeutschet vnnnd geschriben Durch den hochgelerten Herrn Petrum Ilicinum beyder Rächten Doctor vnnnd Can. zu Ollomutz. Anno salutis 1577.* En igitur Συμβολην ad Scripta Viri mihi ignotam, dum de eo in *Hist. Typogr. Vien. P. II. p. 481.* commentarer, ubi nec illud mihi succurrit, inferendum Eum procul dubio illustri Stirpi Delciorum (*d'Elce, Ilex*) Senensium, quae in *Hetruria* etiamnum floret.

CCCCLXXVIII.

631

Codex chartaceus lat. germ. Sec. XVI. Folior. 180. 4. complectitur Sermones Sacros de praecipuis Temporum Controversiis a *Gerardo Gemer Trevirensi*, qui *Ernesto Austriae* Archiduci *Rudolphi* Imp. Fratri a. 1595. defuncto a Sacris fuit, e Scriptis et Concionibus, ut in *Praef.* dicitur, *Reuerendissimi Neapolitani Praesulis* in compendium redactos. Praesulem hunc non alium arbitror, quam *Melch. Kleselium Neostadiensis* in *Austria* Sedis primum Administratorem, dein Antistitem, virum in Seculi sui Historia notissimum.

Operam porro suam *Gerardus* dicit *Rudolpho* Imp. gravi Praeloquio, in quo inter alia: *compendiaria via demonstratur primum vera Definitio nostrae coram Deo Iustificationis, fideique iustificantis; tum quae sint istius testimonia καὶ κερήγια, nempe obedientia fidei et Sacramentorum religiosa usurpatio: circa quae potissimum tota salutis acquirendae doctrina versatur.* Atque haec Concionibus XXXV. absolvuntur, quarum XIV. de *Iustificatione*, II. de *Baptismo*, IV. de *Confirmatione*, IV. de *Poenitentia*, I. de *Eucharistia*, V. de *Liturgia* seu de *Missa*, I. de *Festo Corporis Christi*, cui subiecta Instructio de ratione communicandi sub una vel duplici Specie, IV. de *ordinatoria Manus impositione*; omnes vero Thema ex *Actis Apostolorum* mutuantur, egregiamque cum linguae Graecae, et sacrae Antiquitatis, tum novarum in Religione diffensionum cognitionem produnt. Quae germanice admixta sunt, procul dubio ad Epitomatorem *Gemerum* pertinent, de quo aliud nil compertum habeo.

CCCCLXXIX.

Codex chartaceus lat. germ. 632
Sec. XVI. Folior. 178. 4. eosdem Sermones eadem nitida manu exaratos exhibet, eo solum discrimine, quod hic a *Gemero* inscribantur Domino suo *Ernesto* Archiduci. Lubet e fine Praefationis quaedam adtexere. *Vt ergo*

U u 3

ergo